

altitudinum, & quemcunq; gradum Zodiaci hic circulus positionis ferierit, hic erit initium nonæ domus. Reliquas uero domos ex opposito cuiuscq; dictarum (ut supra didicisti) facilime uenaberis. Exempli gratia: Volo habere æquationem domorum per hunc modum, ad eleuationem poli $49\frac{1}{2}$.graduum. Esto ut in præcedenti gradus 18. Arietis, quem pono ad contactum horizontis orientalis, & teneo globum immotum, & adiungo quartam altitudinem, & circulum positionis iuxta supra tradita: deinde pono circulum positionis supra gradum 30. quartæ altitudinem, & inuenio in eius contactu cum linea ecliptica in parte orientali gradum 8 ferè Aquarij initiat 12. domus: deinde locabo circulum positionis supra 60. gradum quartæ altitudinem, etiam in parte orientali, & inuenio in eius contactu cum ecliptica, gradum 18. ferè Capricorni, pro initio undecimæ domus. Pari modo inuenio ex occidentali parte globi, pro initio domus octauæ 11. gradum Sagittarij, pro initio uero domus nonæ 27. gradum ferè eiusdem Sagittarij reperio.

In qua duodecim domorum cœli planeta uel stella quæuis, aut punctum cœli quodlibet constituatur, explorare.

CAPVT LV.



Vltos errores neglectæ nobis latitudines, tam fixarum quam errantium stellarum, necnon & uaria iudicibus discrimina ingerunt, eaq; maxime quæ in contemptum eorundem, nedum præclare huius ac profundissimæ scientiæ uergunt, utputa quando artis huius tyrunculi aliquod horum, alibi reuera constitutum, hac occasione angulis decepti, intridunt, cum tamen in alijs domibus tanta uirtus eis non sit, sicut in angulis. Talem igitur errorem euitare cupiens, sic operare. Pone gradum signi ascendentis figuræ tuæ propositæ supra contactum horizontis orientalis, & sphæra immota perdurante, circuloq; positionis instrumento (prout supra dидicisti) adaptato, eundem eleua ad principium duodecimæ domus in ecliptica, & quamcunq; stellam ab eodem & circulo horizontali supra terram inclusam compereris, eam duodecimam domum posidere pronuncia: manente deinde globo ita immoto, eundem circulum positionis principio undecimæ domus admoue, & quamcunq; stellam interstitium huius, & duodecimæ domorum occupantem offenderis, undecimæ domui illam dic insidere. Atq; in cæteris domibus eadem via procede. Stella præterea directe sub circulo positionis ita reperta, in cuspede illius domus iudicabitur, cuius initium idem circulus positionis ita positus insinuat.

Vtrum duæ stellæ utrinq; propositæ in uno circulo positionis iaceant experiri.

CAPVT LVI.



Ræsens problema, siue caput ex tabulis directionum Ioannis de mōte regio sumpsimus, qui tribus modis coniunctiones stellarum Astronomos considerare denunciat, quorum primus quidem fit secundum circulos per polos eclipticæ incedentes, quando uidelicet unus talis circulus ambas complectitur stellas. Secundus uero secundum circulos per polos mundi incedentes. Tertius autem secundum circulos meridiano & horizonti in duabus earū sectionibus coeuntis. Hoc genus coniunctionū Hali, expositor quadripartiti Ptolemei, diligenter obseruandum duxit, quod magnā in nativitatibus uim habeat.